

telligitur, quod, dum fieri contradictionem non implicat, imperfectionem nullam enti perfectissimo involuit. Qui enim omnes, quae animum subire possunt et summo Enti conueniunt, possidet perfectiones, ea etiam instructus est potentia, quae nullis includitur limitibus uel terminis, sed ad omnia sese extendit, quae neque ex parte rei, neque ex parte essentiae perfectissimae ullam important contradictionem. Talem esse resuscitationem carnis demortuae, facile demonstratur. Ex parte rei ne ulla quidem occurrit contradictione; si enim possibile fuit, corpus ex nihilo ad existendi fastigium euehere, non minus erit impossibile, corpus non annihilatum, sed ad principia tantum sua et elementa redactum, ad reexistentiam suscitare: Nec ex parte perfectionis diuinae, quia nullum ostendi potest attributum, quod per hoc opus aliqua sui parte laederetur. Potius iustitia diuina id non pati posse uidetur, ut una hominis pars praeter altera uel saluetur, uel danietur, sed requiri, ut corpus, quod in hac uita socium fuit animae, aut bene aut male agentis, ad participationem aut praemii aut poenae consequendam resuscitetur, et animae reduniatur. conf. IOH. FECHT. Syllogen Controuers. Disp. XLIX. §. II. p. 558. Sed fatendum est, hoc absque Scripturae S. reuelatione non nisi probabile saltem ad actualitatem resurrectionis euincendam esse argumentum; quia ratio has regulas iustitiae diuinae adaequate non capit. Obseruandum quoque, uiros quosdam sapientes Ethnicorum non duxisse simpliciter impossibilem reuiuiscentiam, seu restitutionem ad uitam, id quod ostendunt exempla, licet falsa, quae apud Philosophos reperiuntur u. gr. Exemplum Platonis Lib. X. de republica